

36 36.

D. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
HYDROPE SICCO
SEV
TYMPANIA

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

WILHELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQA
EX GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE DECRETO
PRAESIDE

IOANNE IACOBO FICKIO
PHILOS. ET MED. D. ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN.
PROF. P. ARCHIATRO DVC. SAX. VINAR.

PRO LICENTIA
SVMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI

IN AVDITORIO MEDICO
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
PVBLICAE PHILIATRORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT

IO. CHRISTOPHORVS SCHILLING
PRACTICVS SCHLAIZENSIS.

A. O. R. MDCCXXII. XII. DECEMBER.

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

DISERTATIO MATHEMATICA

HYDROPE SICCO

TYRANNA

LECTOR MATHEMATICISSIMO

STIMULUM PRINCIPALIS TONINO

DE MENO

WITHELMIO HENRICO

DEI SACROSANCTAE ECCLESIAE

ALUMNI

IN

TRALSIDO

IOANNI JACOBO HENRICO

DEI SACROSANCTAE ECCLESIAE

ALUMNI

PRO LICENTIA

IN

TRALSIDO

DEI SACROSANCTAE ECCLESIAE

ALUMNI

IN

TRALSIDO

IO. CHRISTOPH. G. SCHMIDT

TRALSIDO

ILLVSTRISSIMIS CELSISSIMISQVE

COMITIBVS AC DOMINIS

DOMINO

DOMINO HEINRICO XI.

IVNIORIS LINEAE RVTHENO, TOTIVSQVE

CELSISSIMI STEMMATIS HOC TEMPORE SENIORI,

COMITI AC DOMINO DE PLAVIA, DOMINO IN

GRAIZA, CRANNICHFELDA, GERA, SCHLAIZA

ET LOBENSTEINIO, ETC. ETC.

NEC NON
DOMINO
DOMINO HEINRICO I.

VT ET
DOMINO
DOMINO HEINRICO XII.


IVNIORIS LINEAE RUTHENIS, COMITIBVS AC
DOMINIS DE PLAVIA, DOMINIS IN GRAIZA
CRANICHFELDA, GERA, SCHLAIZA ET
LOBENSTEINIO ETC. ETC.

DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

IN SVBMISSI ANIMI TESSERAM CVM PERPETVO
INCOLVMITATIS VOTO

SACRAM ESSE VULT

AVCTOR.



I. N. I.

Specimen inaugurale meditati mihi circa res scitu dignas & in arte necessarias, obtulit se tympanitis, quæ quidem, notha præcipue, pro visceris alicujus, maxime lienis aut mesenterii obstructione, apud mulieres pro hysterica passione plerumque habita, nontam infrequens est, ac vulgo putatur; vera autem, rarior, diligentiori ac pleniori indagine, pro virili hic pertractabitur. Conatibus hisce ut Deus sua gratia aspireret, devote rogamus!

§. I.

Ursitati hæcenus ordinis gratia derivationem affectus nostri delibabimus. Dicitur tympanitis a tympano, instrumento satis noto, quod ad excitandas & convocandas militum copias vulgo adhibetur; hoc vero ἀπὸ τῆς τυμπανίζειν, extendere, quia in instrumento laudato bellico corium superinductum adeo expanditur, ut percussione distinctissimum edat sonum: quare & veteres illum corporis humani affectum, in quo abdomen flatibus ita extensum est, ut, digito pulsatum, instar tympani sonet, haud insulse tympanitidem vocaverunt. ὕδρωψ, ὑδρωπίσις, aut ὑδρεος, ab ὕδωρ, aqua, vulgo aqua inter cutem, seu, morbus aquaticus.

§. II.

Quod ad analogiam attinet, ipse artis nostræ parens, Hippocrates, illum ξηρὸν ὑδρωπία, 4. aph. II. sive, siccum hydropem, in

in quo abdomen flatu crasso turget, dicere amavit; quam denominationem certe non ideo dedit, quod sit hydrops absque aqua, quod rarum est: sic enim hydrops vocari non nisi abusive posset; sed quod plus in tympanite flatuum sit, quam aquæ, quamvis & in ascite plurimum quandoque flatuum observetur, flatus autem ab aquæ copia multum superentur, hinc nomen hydropis meretur. Id quod attestatur *Hippocr. l. de flat.* in hydrope esse aquam, aëre, i. e. flatibus plenam, adstruens. Nicandro dicitur *τυμπανίτης ὑδρωψ*, quasi dicat, hydrops inflatus; sicuti & aliis hydrops flatulentus, flatuosus & ventosus, a causa materiali eum inducente; seu intumescencia abdominis flatuosa, aut ventositas, audit. Communissime vero vocatur tympanitis, tympania & tympanites, Germ. die Wind- oder Trummel. Sucht.

§. III.

Est quippe tympanitis tumor abdominis durus, constans & renitens, digitoque percussus instar tympani sonans, cum difficultate spirandi, dolore, rugitibus, aliisque symptomatibus conjunctus, a magno flatuum impetu in abdominis & partium ejus cavis, vel ab inflatione harum *τετραώδεις*. Describitur morbus noster per tumorem, quoniam nempe partes abdominis præter morem solitum ampliantur atque extenduntur, ut debitas operationes suas perficere nequeant; unde merito inter morbos conformationis, & quidem magnitudinis auctæ, referendus est. Durus vero, constans & renitens appellatur, quia contrectatus vix digitis cedit, statimque resilit, manente æquali superficie; unde statim distinguitur ab ascite, aliisque tumoribus mollibus, in quibus ab impressione digiti fovea relinquitur. Quæ differentia specifica adhuc magis extenditur per adjectum phænomenum, quod a percussione abdomen ad instar tympani sonum edat, quale quid in aliis abdominis tumoribus minus reperibile existit. Suo modo cum sicca convenit cholera, in qua venter inflatus est, & strepitus insunt, & dolor laterum ac lumborum.

Sece-

Secedit autem nihil deorsum, sed alvus adstricta est. *Hippocrat. de victus rat. in acutis, p. m. 394.* Cui superaddunt nonnulli copiosam flatuum sursum & deorsum excretionem, & nomen imponunt flatuosæ. *Pechlinus, Observ. 56. l. 1.*

§. IV.

Subjectum loci, seu partes, quæ flatuosam (aut spasticam) intumescantiam patiuntur, speciatim sunt integumenta infimi ventris, communia & propria, cutis, muscoli ac peritonæum; foci, seu spatia, in quibus ventositates continentur, præcipue ventriculus & intestina, tenuia & crassa; *Platerus, pract. l. 3. c. 6. de extuberantia;* & hinc etiam abdominis utriculus, raro duplicatura peritonæi, vel locus inter hoc & musculos præ. nat. expansus, vel musculorum interstitia, quæ & sui patiuntur, & vicinarum partium distentionem faciunt. *Hippocrates spatia musculorum sero & flatu repleti, ventremque elevari asserit; Bagliv. op. p. 64.* ruptis, laxatis vel erosis talium partium lymphaticis vasis. Quando flatus in spatium extra intestina & in cavum abdominis transeunt, tympanitis audit confirmata. Hunc morbi statum anatomia confirmat practica. Cum post mortem tympanitici venter aperiretur, non solum flatus statim erumpebant, sed etiam intestina tantopere ab iis distenta erant, ut femoris crassitiem certis in locis adæquare viderentur, atque ex compressione rumperentur, *Platerus observ. l. 3. p. 616.* Ceu quoque intestina immensum a flatibus turgida, acu puncta, hos cum sibilo & impetu emittebant, perinde ac ventriculus. *Bonetus, anat. pract. l. 3. sect. 21. observ. 22.*

§. V.

Non immerito hic loci quæstio ventilari potest, unde & per quas vias flatus in abdomen perveniant? Ubi varii hujus phænomeni scrutatores in varias quoque abeunt sententias, e quibus minime eorum arripit opinio, qui ob ampliationem atque extensionem pororum primarum viarum exitum flatuum in cavitate abdominis contingere statuunt, cum tenuissimis mem-

branis

branis facile coerceantur, & multo facilius tenues humores præ illis erumpere posse, quotidiana confirmemur experientia. Sed iis potius adstipulamur, qui dilatata nimium oscula vasorum lacteorum, aut horum ruptionem, qua de testantur cruciatus circa umbilicum fortes; nec minus ista sanguiferorum cum anastomosi, qua via, ibi cum chylo, si non soli, hic cum seroso humore procedant, quod & aqua cum flatibus in tympanite plerumque permista sit, pro vera causa adducunt. Et si ab aëre nuptus per poros pulmonum in sanguinem ingreditur; ita similiter flatus per istos tunicarum intestinorum in abdominis cavum. Asciticus quidam scrotum ab aquis in magnam extensum habebat molem, ut illæ guttatim per rarefactos poros, aut p. n. dilatatos exirent cum molis decremento. Licet nec ab illa Plateri sententia plane dissentimus, qui eorum generationem in ipso abdominis cavo ex transsudato vel destillato illuc, ibidemque successive collecto humore aquoso, mediante interno viscerum calore, fieri censet, perhibente id *Sennerto l. III. Prax. P. VI. Sect. II. c. 4. p. m. 772.*

§. VI.

Causa immediata quandoque potest esse inflatio spasmodica infimi ventris. Secundum Willisium, in *Pharmaceut. rat. sect. I. c. 2. p. 10.* manifesto liquet, tunicam ventriculi, & consimiliter intestinorum, nerveam frequenter distendi, inflari & intumescere, inque majorem capacitatem ampliari, occasione animalium spirituum, qui fibrarum nerveo-membracearum, (carneæ enim litant contractioni,) sunt incolæ, & in impetum explosivum adacti incurrentesque istas summe inflant & distendunt, proindeque totam membranam quasi vesicam inflatam tumefaciunt. Tales, scil. convulsiones, quibus partes infimi ventris & viscera membranacea ejus in molem agglomerantur, & ille intumescit, tangentis manus resistens fortiter, fieri quoque observamus in paroxysmis hysteriis,

stercis, hypochondriacis atque colicis, vel etiam asthma sicco, qui non raro per consensum tympanitem causantur.

§. VII.

Fere idem sentit Bagliuius, *Oper. p. 81.* & hydropem siccum ventris oriri vult, quando fibræ viscerum & partium abdominis intētæ nimium, crispatæ & exsiccatæ, portentosum acquirunt elaterem, unde ingens distentio solidi, sine ullo vapore subjecto; seu intumescencia nascitur inanis, non v. vaporaria, ut hætenus creditum. Fibras autem exsiccat, crispat, convellit materia acris, salina, piperina, morsicans, irritativa, inprimis effervescent. Accusat quoque membranarum ventris, mesenterii & viscerum spasmodum, *Tozzi, prax. p. 181.* instantem istas, quem faciant spiritus animales irregulariter & tumultuarie moti. Istæ vacuitates postmodum a flatibus implentur, quorum aggestio velut complementum accedit; & quando distensio multum augetur, magis magisque liquidorum circulum impedit, hinc facile sicco hydropi humidus succedit. Ita semper fere ante mortem ascites tympanitidâ conjungitur.

§. IIX.

Dum dictæ convulsæ partes velut tetanum patiuntur, & violentam constantemque ventris faciunt intumescenciam, fibræ carneæ, alias contractioni faventes, istarum & superjacentium, cutis, musculorumque partium a tono dejiciuntur, elongantur, vel manent in sua expansione, & impellere impotentes ob laxitatem, sua capacitate adhuc magis flatibus invitant, & aptum iis præbent diversorium. Quo modo abdominis muscoli etiam beneficiis, quæ œconomix vitali tribuunt, privantur, ceu sunt juvare respirationem, alvi fœcum & flatuum; urinæ, fœtus excretionem, & circulum sanguinis per abdominis viscera, atque secretionem & distributionem humorum in iis promoveri. Et quia idem ventriculo accidit, atoniam inde contrahet, cujus occasione di-

gestio prima læditur, & fit apparatus ad flatulentias.

§. IX.

Flatus autem, si citra affectionem hanc spasmodicam præcedaneam fuerint, immediatæ, cum ea vero mediatæ, causæ rationem habent: quorum modica præsentia naturaliter adesse debet, intestinorum collapsum præcavens, & scybalorum exclusionem promovens. Existentiæ veritatem experientia sistit. Vidimus ex aperto cadavere nihil aquæ exire, & crasso flatu expirante totum repente ventrem detumescere: *Vallesius, in Commentar. in de victu in acut.* Et acu abdomen mortuæ tympanicæ cum aperiretur, magno edito sono, venter totus subsedit. *Ballonius, paradigm. 141.* In dissecto puerulo tympanitico, mirum dictu, quantum ventriculus distentus erat, in quo nihil, præter flatus & aliquid visceri humoris conspiciebatur, intestina autem omnia tam pellucida transparebant, ut etiam multis in locis puncta statim conciderent, ne guttula quidem humoris alicujus apparen-
te, Simonis Scholzii observatio est. Iam de flatibus plura.

§. X.

Insipientes monumenta & observationes practicorum, variæ indolis humores, biliosos, melancholicos, atrabilarios, siccam etiam totius, vel hecticam intestinorum temperiem, quam acuti sæpe morbi relinquunt, juxta ac glandulas, mesenterii aridas & tabefactas, pancreatis duras, omenti scirrhusas; vulgo autem pituitosos, adeoque calidos & frigidos, inferius scybala ipsa, in censum ducimus, aptos flatuum generationi, secundum experientiam. Nam in quodam tympanitico dissecto hepar erat retorridum, intestina siderata, viscera inflammata, os aphthis obsessum, & ingens totius siccitas. *Nicol. Tulpus, Observat. l. 2. c. 35.* Haud minus constat, eos, quibus atra bilis ventriculo substrata est, flatibus redundare, & ructus plurimos edere: atrabilarium autem ab æstu viscerum gigni. Ita humor melancholicus habetur pro
retor-

retorrido, ab intenso calore, qui quidem eandem materiam exagitat in status crassos. Et quia hypochondriaci hydropem facile incurrunt, etiam ob calidam & siccam ventriculi & intestinorum intemperiem, quæ facile ad mesenterium derivatur, unde ariditas ejus & glandularum, de quibus *Bonetus, in anatom. pract. T. II. p. 440.* diversitatem eorum materiæ, ubique tamen cum insigni viscedine, admittere cogimur.

§. XI.

Officinam flatuum omnes quidem corporis partes videntur sistere, a quibus nec sanguis immunis est, & ipsi cordis ventriculi atque auriculæ, sanguine vacui, ab iis valde dilatati reperti sunt; *Pechlinus, Obs. med. p. 135:* cavitates tamen sunt usitatissimæ, & maxime omnium, ventriculus atque ob circumvolutiones frequentes, collectioni & flasi faventes, ob anfractus, angulos, valvulas, cellulas, potissimum intestina, non solum quia magnum satis spatium, insuper valde dilatabile, sed etiam humores varios, alimenta idonea, eorundemque pravam digestionem & occasionem fermentandi habent; quibus cum infimi ventris cavitas destituatur, in hanc, perinde ac ipsum sanguinem, ex intestinis, ubi generantur, transfusos vel omnes, vel magnam eorum partem, haud immerito conjicimus.

§. XII.

Aptissimus rursus locus in intestinis tenuibus est duodeni & jejuni confinium, ubi succi, biliosus, lymphatici pancreatici, salivales, ventriculi & intestinalis, chymus, & alimentorum residuum, atque cruditates confluunt. Hinc etiam in hypochondriis distensiones sunt frequentiores, quia ibi copiosissimæ sunt cruditates, ex vitiosa digestionem. Post hæc colon occurrit, in quo status alii subsistunt & colliguntur, ob valvulosos cellulososque tunicarum processus, tum etiam segniorem peristalticum motum; vel ab acescente cum tempore lymphæ fermento, & scybalorum putrefactivo,

ad novam & tumultuariam flatulentiam contenta magis ibi disponuntur.

§. XIII.

Inter humores dictos quidam agendi, alii v. patiendi habent rationem, & quando eorum læditur qualitarum temperies, ut magis sibi aduersentur, obstetricante illa contrarierate, cientur in motum intrinsicum, qui fermentativus, nonnullis effervescentiæ dicitur, cujus productum est resolutio & attenuatio humorum atque evaporatio. Effervescendi autem occasio maxime in tenuibus existit. Bilis inprimis est fermentativa, quæ n. p. facile fermentat & fermentatur, quia naturaliter constat multis activis, elasticis particulis, oleosis & salinis, volatilibus præcipue. Hæ facile acriores justo fieri, sibi que heterogeneæ possunt, vel misceri cum heterogeneis humoribus, crudis, lymphaticis degeneribus, aut chylo male digesto, & c. effervescentiam. Egregium de bile perhibet *Behrens* testimonium in *diætet. Sect. VI. c. 2. §. 2.* quod nonnunquam illa per intestina deorsum turbulentis astibus vageatur, alvo tamen sicciore, & continuam flatuum vaporumque materiam suppeditet, qui nonnunquam in intestinorum angulis quasi coniecti fixos dolores producant, nonnunquam etiam extra tunicas in cavum abdominis propulsi, tympanitidem causentur. Ut recte conjiciamus, ideo status esse diversos pro diversitate & genio humorum & cruditatum, plures vel pauciores, crassiores, tenaciores, vel tenuiores, majoris vel minoris impetus & activitatis, ut plus minus durus tumor & in molem elevatio, doloresque varii, fixi, mobiles, acuti, obtusi emergant abdominis.

§. XIII.

Uberrimus autem flatuum proventus a pituitoso provenit humore, qualis quoque est ventriculi aut intestinorum mucus, sicuti copiosior, inprimis ab assumtis male digestis fuerit, & viscidior: quippe qui multum humidi aquei continet facile

cile resolubilis, & aeris elastici, sive in fermentationis negotio, maxime per bilem, sive a calore, humidum cum viscido rarefaciente, & in bullulas atque vesiculas, quales in superficie liquorum viscidorum fermentantium, & in aqua, smegmatis beneficio glutinosa, ab aëre fistula inflato excitantur, elevante, quæ ipsæ ut orbem nactæ sunt viscosiorem, hoc magis ab intestina illa vi elastica ampliantur, difficiliorque ob resistantiam viscerum majorem discutiuntur: ruptæ faciunt ructus & flatus, qui sunt ejusdem naturæ. Notavit *Fabritius Hildanus, centur. VI. observ. 74.* flatus in tympanitica puella copiosos & adeo tenaciter in hærentes ventriculo & intestinis, ut purgationi aliquoties repetitæ ne quidem cederent, & post mortem acie scalpelli perfossis vix efflarent. Qui flatus de materiæ summa viscedine, & inchoata istius rarefactione testatur.

§. XV.

Neque male factum, quod si hunc glutinosum, non secus ac alios viscidos, acidos, biliosos, aut alius indolis humores, flatulentos ab aëre esse statuamus, cum ipse *Cous* flatus comparari ventis in macrocosmo, & taliter nominet. Subingreditur aër vivum corpus per pulmones & cutis poros, aut per os cum assumtis, solidis vel liquidis, & per sanguinem atque humores quosvis distributus, motum illis impertit fluiditatis & viralem elasticitate sua. Quidni ille intermediis eorum poris concludi, & forsitan largius retineri ob tenacitatem a viscidis queat, cui extricando infirmus sufficiet calor, & tenaces moleculæ adhærebunt, quæ isti elastico vehementiorem largientur impetum, impulsamque in solida corporis nostri, & facient halitibus suis copiosis flatus. Tale enim humidum aqueum flatuosum refert aeris crassi naturam, cui competit compressio, dilatatio, agitatio.

§. XVI.

Ita intelligere pronum est Veterum sententiam, qua flatuum mater pituita, pater v. calor natus debilis, per se

aut per accidens talis, statuitur. Robustus calor est, qui vegetus humores plane resolvit & discutit, minus plene, debilis, a quo pituita, seu viscidum serum, saltim aliquatenus rarefcit, non profus resolvitur, vitioso tamen perturbatoque in constitutivis suis particulis motu cietur, quo majus occupat spatium. Rarefactionis, vel & fermentationis motum esse sui expansivum, probatur cum vesica, cui materia quædam viscida, fermentativa includitur, in leni calore facile & successive fermentationis motu illam eximie distendens; tum inflativa corporum demortuorum putrefactione, quam debilis suscitatur calor, robustus in vivis arcuerat.

§. XVII.

Pituitam plerumque esse proximam flatuum materiam, confirmant tum observationes, quæ in *Ephemerid. Germ. Decad. II. A. I. Obs. LXXX.* habentur, tum successio aut conversio mutua tympanitis in ascitem, quia materia hujus existit aqua, seu lymphæ. Ibi vero ægri cujusdam mentio fit, qui abdominis torminibus, iisque acerbissimis afflictus, quamplurimis licet medicamentis successive adhibitis, nullam plane levamen percepit, donec usu clysmatum potentiorum massa quædam ex multis vesiculis contexta, quarum majores globuli juglandium, minores avellanarum nucum magnitudinem referebant, saluberrimo insequente effectu, excreta sit. Sicut & aliam fœminam a longo tempore asthmaticam & anhelosam, ejusmodi bullas pituitæ glutinosæ insidentes, magnitudine pomi Borsdorffiani, diversis vicibus magna cum *εὐφορίᾳ* rejecisse, ibidem allegatur.

§. XVIII.

Quum igitur certum sit, status in adductis affectibus ex pituita ortos fuisse, cur non simile quid in tympanitide accidere, affirmemus? Accedit, quod in apertis talibus cadaveribus simul, una cum flatibus, & causâ eorum materialis, nimirum aqua cum flatibus mixta reperta fuerit, ut sapius etiam

iam dubitaverint Medici, utrum ad ascitem, an vero tympanitidem præsens status jure meritoque referendus fuerit. Ideo a plurimis quoque Medicis, contra Paracelsum, qui illam inflationem, seu constipationem ventriculi tantum *Libr. I. de Tart. tr. 2. cap. 2.* esse dicit, ad hydropis speciem refertur, quia in utrisque & eadem causa materialis, & unius in alterum morbi conversio reperitur.

§. XIX.

Egregium tale exemplum adducit *Schenckius ex annot. D. Francisc. Tidicai, Lib. III. Observ. 126.* & cum eo *Senner-tus l. c.* de viro quodam sexagenario, satis alioquin corpulento, qui aliquot mensibus, antequam ipsi per aquæ accumulationem in manifestum tumorem extolleretur venter, hoc symptomate infestatus fuerit, ut quotiescunque assidens mensæ, cibum sumturus, & jam mandere incipiens, tanta correptus sit anhelandi difficultate, ut præ respirandi crebritate suffocationis periculum præ se tulerit, & ex eo cibum semimanusum ex ore rejicere subinde coactus sit. Idem hic affirmavit, se eo tempore, quo se ad somnum componens, jam obdormiscere inciperet, circa hypochondria percipere palpitationem quandam, vel tale quid, ac si præcordiis aliquid vivi animalis subesset, qui vir tandem ascite periit. Ubi priorum symptomatum causa procul dubio fuit flatus in hypochondrio generatus, qui respirationem dicto modo impedivit, & demum in ascitem mutatus fuit morbus. In quadam tympanitica dissecta, admoto cultro, mox se obtulerunt plurimi flatus, cum impetu exitum quærentes, postea vero aquosus humor. *Verzascha, Observat. 79.*

§. XX.

Quæcunque igitur ad visciditates generandas, ad calorem nativum debilitandum, ad flatus denique quocunque modo producendos, ansam præbent, inter causas tympanitidis remotiores referri debent. Et quidem primitus ex Re-

bus

bus Naturalibus dictis in censum venit Temperamentum frigidum & humidum, phlegmaticum alias dictum, quod uti seroso latice per se copiosissimo gaudet, ita præ ceteris facillime quoque in statum deteriore aberrare, & resolutis visciditatibus in primis viis expansionem abdominis producere valet. Interim tamen tantum abest, ut reliqua temperamta ab hoc malo exempta sint, ut potius, ceteris consentientibus circumstantiis, inprimis phlegmatico - cholericum, phlegmatico - melancholicum, uti in passiones colicas, iliacas, hypochondriacas, ita etiam flatuosas sint proclivia: quanquam non tam promte ac phlegmaticum, ubi a dispositione ad habitum facilis omnino fieri potest transgressus.

§. XXI.

Aëtas huic malo maxime obnoxia est declinans, ob serum copiosius & vappescens, & hinc acquisitum temperamentum frigidum; itemque puerilis, ob humidi abundantiam. In vegetam ætatem haud facile cadit hic morbus, nisi inordinata nimis vivendi ratio visciditates pariat, caloremque vitalem debilitet, hinc status copiosiores efficiat. Serum sequior, ob statum corporis frigidum naturaliter atque humidum, & vitam sedentariam, nisi accuratissima observetur diæta, facile in morbum nostrum incidere potest. Habitus corporis obesus serum copiosius secum gerit, & vasa minora ordinarie ibidem præsentia circulum lymphæ debitum haud raro cohibent, ita ut affluxus copiosior, refluxus tamen parvus confurgat, hinc fit, ut ruptio vasorum lymphaticorum, indeque hydrops, aut hujus species, tympanitis, confurgat. Sicuti quoque dispositio hæreditaria primum humoribus vitalibus fundamentum præbet, & quam in parentibus, illam etiam in sobole nutritionem efficit: ita facillime fieri potest, ut hydropici hydropicos, tympanitici tympaniticos generent.

§. XXII.

Ex causis non naturalibus ac frigidus & humidus concurrir,

currit, tum poros obstruendo & imminutionem feri per transpirationem prohibendo, tum partes impuras copiosiores per poros corpori inducendo. Haud parum quoque confert aris inæqualitas, si n. frigidum nimis calidus, aut calidum nimis frigidus excipiat statum, qua mutatione subita aut excernenda per vias excretorias nimis retinentur, aut partes volatiles ultra modum dissipantur, viscidiores remanent, hinc materia ad flatum colligitur. Eo magis vero id accidit, quando uliginosis, palustribus & putrilaginis aer particulis refertus est, quæ per inspirationem, itemque per poros cutis in massam sanguineam illatæ, cruditates copiosiores ibidem efficiunt. Qualis vero sanguis, talis etiam lymphæ & sanguine, tum in aliis corporis partibus, tum in ipsis intestinis discernitur, quæ, si viscida existat, primum per supra dicta ad inflationem abdominis pabulum constituit.

§. XXIII.

Cibus confert ad tympanitidem, si ratione quantitatis nimis assumatur, ita ut ventriculus ad illum debito modo resolvendum non sufficiat; tunc enim non potest non fieri, quin visciditates emergant, calor vitalis debilitetur, & hinc flatum consurgant. Eadem quoque est ratio qualitatis ciborum peccantis; in quem censum veniunt omnia dyspepta, uti cibi viscidi, lenti, muriatici, acidi, fumo indurati, spiræ, lacticia, leguminosa, oleracea, flatulenta præcipue dicta, qui multum aëris continent elastici, ut fructus horæi, vel eum excitant, ut allium, aut pituitam faciunt. Quidam ab esu casei veteris in tympanitidem lapsus, a potu thermarum excrementa caseosa excrevit. *Behrens dietet. sect. II. C. 14. §. 12.* Sic inconveniens quoque ordo cibos assumendi ad flatuum productionem ansam præbet, v. g. si caseus, juscula lactis & cibi cum aceto parati simul ingerantur, aut vinum super inhauriatur, sicuti exemplum viri notum est cujusdam, qui se lacte aliquando nimis satiabat, & hinc borborygmos inde or-

tos tolerare nolens potum vini generosioris ingurgitabat, unde non vehementiora murmura tantum, verum etiam tantam ventris inflationem cum obstructione patiebatur, quæ nec internis, nec externis remediis, licet efficacissimis alias, tolli poterat, ut æger tandem miserrime expiraret. Simile fere exemplum de ovis in aceto frixis in auriga observavit & allegavit *Langius, Oper. Med. Part. II. Casu 35. p. 295.* Sunt etiam, qui sæpius de die ventriculum infarciunt, nec tempus cibandi ordinariæ, nec quantitatem discretam servant, qui quomodo sibi consulant, quemque morborum fomitem parent, quilibet facile intelliget. Qui inter comedendum erumpunt flatus, æri tribuuntur, ciborum interstitiis incluso, qui calore rarefactus expellitur sursum elevatus. Post pastum aliquot horis oborti ructus, tribuuntur alimentorum visciditati vel copix, aut fermenti inertix, hinc assumpta minus attenuantur, sicque in pastam acidam & viscidam abeunt, flatuum materiam. *Gladbach, prax. p. 263.*

§. XXIV.

Quem autem ad modum id præstare valent esculenta, sic quoque similem affricare possunt labem potulenta, atque ad statum tympaniticum disponere. Fit hoc, si nimia eorum quantitas ingurgitatur, & hinc ventriculi menstruum nimis diluitur, quare heluones frequenter tympanitici, & potulenti flatulenti evadunt; sive etiam, si non sufficiens potus assumatur, ut humidum ad coquendos & solvendos cibos deficiat, ubi fermentatio decens abrumpitur, & loco laudabilis chyli cruditates in primis viis relinquuntur. Nominatim vero qualitas potus non decenti modo ad quodlibet subiectum accommodata mirum quantum nocere potest. Sic in iis, qui generosis liquoribus diu adsueverunt, aqua liberius hausta efficit, ut coctio & fermentatio ventriculi retardetur, imbecillitas progignatur, & humorum agilitas, maxime semper necessaria, sufflaminetur; hinc flatus copiosiores oriuntur.

tur. Spiritus vini præprimis jejuno ventriculo assumtus, itemque & vini potus largior, non decenti quantitate, debitoque modo ac tempore institutus, præcipitando partes terreas, & debilitando ventriculi menstruum, symbolum suum sapissime quoque conferunt; quale & fit, quando post incalescentiam corporis nimiam frigidus potus ingurgitatur, quam subitam mutationem eadem, quæ circa æris admissionem inæqualem monuimus, sequuntur. Adhuc majorem statum fomitem præbent fermentescibilia assumta, v. g. mustum, cerevisia non rite fermentata, (*Kaltgäbrig Bier*) aqua impura, limosa, & sic porro, præprimis si fructus horæi aut dulcia prius assumpta fuerint.

§. XXV.

Motus nimius continuatus, augendo circulationem sanguinis, & secretionem quamcunque, serum fluxile dissipat, partes vero crassiores relinquit, spiritus exhaurit, calorem vitalem successive debilitat, & sic resolutionem partium viscidarum in status promovet. Idem post pastum statim institutus impedit, quo minus chylificatio rite perfici queat, & partes crudiores in intestina præcipitentur, evolutioque laudabilium ab excrementitiis non decenter procedat, hinc cruditates consurgunt. Quies vero nimia excernenda retinendo, & sic pituita primas vias omniaque torius corporis vasa replendo, simulque spiritus inertes ac torpidos reddendo, viam ad status, nostrumque malum aperit, ita ut Poëta recte jamdudum cecinerit:

*Cernis, ut ignavum corrumpunt otia corpus,
Ut vitium capiant, ni moveantur, aque.*

§. XXVI.

Quod de quiete commemoratum, idem etiam de somno, modum excedente, valet, quippe a quo evacuationes naturales remorantur, crudi pituitosique humores accumulatur, & sic corporis calor imminuitur, testante id Coo, quando

Lib. de flat. cap. 20. t. 9. φύσει, inquit, πέφικεν ὁ ὕπνος ψύχειν; natura somno frigefaciendi vis est. Ast non sufficiente præfente calore, facilis humorum in flatus resolutio contingere potest, idque eo magis, si obesi & humoribus pituitosis abundantes tempore meridiano somnum frequentius ineant. Sicuti enim hic, debilioribus, siccoribus, ætate confectis & salinis humoribus pollentibus, ad refocillandos spiritus & restituumendum serum deficiens, merito medicina vocanda: ita illis corpus quasi ἐφθός, elixatum atque turgidulum reddit, optime sic judicante Ill. *Wed. Diff. de diæta literator. p. 21.*

§. XXVII.

Neque vero solum somnus, verum etiam vigilia nimia flatuum & tympanitidis productioni ansam præbere possunt, siquidem ὕπνος ἀγρυπνίη, ἀμφοτέρα τῆ μετρίῳ μᾶλλον γινόμενα, κακόν; *somnus & vigilia, utraque, si immoderata sint, malum, 2. aphor. 3.* Quoniam np. vigiliis nimis spiritus animales, magis ac par est, agitantur, hac agitatione & fermentatione vero partes sanguinis volatiliores sensim ac sensim avolant; facile concludendum, humores demum vappescere, & sic flatuum causam constituere posse. Apparet hoc in iis, qui nimia lucubratione malum hypochondriacum sibi contraxerunt, & ob flatus simul junctos borborygmus, murmura, quin & abdominis inflationem sentiunt.

§. XXIX.

Excreta & retenta, non rite procedentia, sæpius quoque tympanitidem remore inducunt. Sic nimia sanguinis per V. Sem. evacuatio, menses immodici, aliæque hæmorrhagiæ modum excedentes, calorem vitalem debilitando cruditates augent; sero vero immodice excreto, sive per vias ordinarias, sive præsidiiis chirurgicis aut pharmaceuticis id fiat, partes laudabiles copiose educuntur, visciditates relinquuntur, & hinc fundamentum morbi nostri ponitur. Retentio partium excernendarum itidem nocet, quale exemplum de persona

sona

sona quadam nobili constat, quæ ob menses, circa ætatem decrefcentem emanentes, in maximam abdominis inflationem incidebat, quam, nisi mature potentiora adhibita fuissent remedia, vera sine dubio fequuta fuiffet tympanitis.

§. XXIX.

Speftant denique ad res n. n. tympanitidem inducere valentes, animi pathemata graviora, tum quæ fpiritus nimis concentrant, & hinc fecretiones debitas fufflaminant, v. g. terror, mœror, metus, triftitia, &c. tum, quæ nimiam humorum efferationem, indeque majorem partium volatiliorum fanguinis diffipationem efficiunt, uti ira, gaudium continuatum, præprimis, fi temperamentum, vitæ genus, aliaque fimul confentiant.

§. XXX.

Ex caufis p. n. morbum noftrum remote producere potest cacochymia omnis generis, fpeciatim vero pituitofa, ejusque effectus frequentiffimus cachexia, qua de ipfe *Hippocr. de affectibus t. 12. 13.* Cachecticus, inquit, fi curatus fuerit inchoante morbo, fanus fiet, fin minus, in hydropem tranfit; cujus fpecies eft tympanitis. Et ficuti hypochondriaci fæpiſſime funt quaſi ventriloqui, & præprimis poſt paſtum fæpius intumeſcunt, quaſi a folle inflati ſint: ita fæpius conſtans manet talismodi tumor, & hydrops flatulentus conſurgit. Succedit pariter colicæ flatulentæ, vel aſthmati ſiccò. Hunc iners quoque ventriculi menſtrum, nec fatis volatiliſatum promovere potest, teſtante id *Galeno 3. de ſympt. cauſ. Cap. I.* dicens, quod ultimus coſtionis ventriculi lapſus in lienteriam vel tympanitidem finiatur. Sic fæpius quoque a Sydenhamio, aliisque Practicis celeberrimis, obſervatum fuit, quod febres intermittentes, & nominatim quartana, haud rite curatæ, aut ſaltem oppreſſæ, ob retentionem viſciditatum, flatibus pabulum præbentium, tympanitidem poſt ſe reliquerint; imo cum illa conjunctæ fuerint, de quibus no-

tabile omnino exemplum refert *Pechlinus l. c.* de virgine febre tertiana correpta, quæ, quoties paroxysmum passa est, & præcipuis invalescente calore, eum in modum inflata est, ut multis etiam veneni hausti suspicionem præbuerit, donec curata febre & desinentibus paroxysmis, in ipsum quoque insolitum hocce phænomenum desiverit. Post febres continuas & malignas itidem tympanitidem surrexisse, testis est *Ballon. in Paradigmat. 141. it. Conradinus, in Tract. de febr. Hungar. cap. 27.*

§. XXXI.

Animalia quoque viva, vermes puta, interdum morbum nostrum producunt, quale exemplum *Hercules Saxonia, in prælect. præct. l. c. cap. 24.* refert in viro, cujus secti corporis intestina flatu erant plena citra ulla excrementa, in ventriculo autem xxxiii. vermes conspecti sunt, & multi sesquipedales, qui non solum spasnum in intestinis morsicando inferunt & inflationem, sed etiam partes alimentorum laudabiles absument, terreas vero viscidasque relinquunt, & intestinorum lympham conspurcant, hinc chylicationis opus turbant, visciditatibusque occasionem præbent; quod eo magis fit, si, quod ab empyricis haud raro fieri consuevit, semen cynæ, aut aliud anthelminticum, alvo tamen clausa, propinatur, quibus vermes quidem necantur, minus vero educuntur, hinc in putredinem abeunt, & enormem sapius inflationem excitant.

§. XXXII.

Omissis pluribus, jam ad differentias tympanitidis exponendas progredimur. Differt autem tympanitis ratione temporis, & est vel incipiens & imperfecta, ubi flatus intra primam adhuc officinam hærent; vel confirmata & perfecta, ubi in spatium extra intestina abierunt. Ratione originis est vel primaria, & per essentiam, ubi nullo alio morbo prægresso apparet; vel secundaria & per consensum talis, quando

do nimirum aliam quamcunque rem p. n. insequitur, & ab illa ortum trahit. Ratione loci est vel vniuersalis, quæ totum occupat corpus, qualia exempla vide sis in *Willis. pharmac. rat. sect. II. c. 4. Sennert. Prax. P. II. p. 765. Platero, Prax. Tr. III. p. 200.* dicitur inflatio totius: & similem inflativum totius tumorem, passa est virgo quædam in quinque tertianæ febris paroxysmis, post hos remittentem. *Pechlinus, l. c. observ. 57.* Vel particularis, quæ abdomen vel totum intendit, nonnullis intestinalis dicta, vel quandam ejus partem, np. ventriculum aut hypochondria, vel hypogastrium, dum materia hanc vel illam intestinorum partem occupat, & ibi fixum ventris tumorem facit. Reliquas illius differentias, np. ut sit simplex vel composita, copulata cum ascite, item, ileo aut colica, *Platerus Prax. T. III. p. 202. & Obs. l. 3. p. 615.* ex symptomatibus, vel morbis conjunctis, & causis superius allatis, quilibet facile colligere poterit.

§. XXXIII.

Diagnosim optime secundum differentias elici potest. Imminens enim, seu, incipiens judicatur, quando murmura, rugitus & tormina abdominis, præsertim dolores circa umbilicum fortes, qui nullis cedunt remediis, diutius vexant, certo cum præfagientes. Confirmatur ulterius, si æger supinus jacet, venter valde nihilominus distenditur durusque permanet, tumet sicuti vesica spiritu plena, quæ ad candela admotionem lucem transmittit: & quando superiores partes corporis, imo corpus totum contabescit; quare *Ludov. Mercat. Libr. VI. de morb. int. curat. Cap. 6.* haud insulse illam cum regio fisco, qui, quantum increfcit, tantum res privatorum decrefcere solent, comparat. Adest æqualis tumor, constans & fixus, quocunque etiam modo locetur corpus, nec, si in latus aliquod se volvat æger, aquæ fluctuantis sonum percipit, uti in ascite, sicuti & tumor multo durior, undique renitens, manu pulsatus sonum tympani instar edens, nec tam

gravis

gravis est, ac in hac. Cutis insuper glabra existit, & fulgore quasi nitet, pedes sæpe turgidissimi sunt non ab aquosa, sed flatuosa materia. Conjungitur dyspnœa, urinæ paucitas, dolores lancinantes colici & veluti iliaci circa lumbos, rugitus, cardialgia, palpitatio cordis; item, febris, tussis sicca, sitis, non tamen tanta ac in ascite, pulsus frequentior ac subdurus, alvus plerumque clausa, efficacissimisque sæpius remediis non cedens: vel sicca cum fœcibus stercorei caprillo similibus.

§. XXXIV.

Essentialis tympanitis patet, si reliqua corporis membra sana sint, abdomen vero adducta phænomena affligant. Consensualis vero cognoscitur, quando quædam ex supra allegatis rebus p. n. aut præcesserunt, aut adhuc adsunt. Universalis ex totius corporis, particularis vero ex alicujus tantummodo partis inflatione cognoscitur. Ubi non sicco transire possum pede nefandam illam Lutetiæ Parisiorum anno 1693. commissam fraudem inflationis, seu, tympanitidis capitæ, quam allegavit *Dav. Lipsius, Tract. de hydropisi, p. 18.* ubi n. puer, ætatis 15. aut 18. circiter mensium, visus est, cui parentes, quæstus faciendi causa, cutem circa verticem foramine inciderunt parvo, ac per illud ipsum fistula immissa inflarunt, & aliquot intra menses cutim capitæ infantuli in tantam extenderunt altitudinem, singulis diebus aliquoties inflando. Foramen ea fecerant industria, ut extracta fistula cera facile possent obturare. Sed detestando hoc scelere cognito, ambo parentes morte mulctati sunt.

§. XXXV.

In prognosi, sedulo attendendi sunt gradus, aliæque circumstantiæ, pro quarum momento variant. Quod rationem salutis & mortis attinet, *Aëtius* quidem tympanitidem omnium hydropis specierum periculosissimam statuit, ob rupta vasa lactea, lymphaticis præstantiora, & materiam ma-

gis

gis pertinacem, solutuque difficilem. Tympanites ascite rarior est. Asciticos quamplurimos se curatos gloriatur *Eraſtus*, tympanitide vero affectos duntaxat duos se vidisse refert. Mitiior imminens præ inveterata, simplex præ composita, in juvenibus præ senibus; a leviori causa, quam graviori; accedens minori morbo, quam graviori. Morbus acutus est, inquit *Remb. Dodonaus*, *prax. c. 67.* paucorum dierum, & maxime lethalis. Si enim, qui præcesserunt cruciatus circa umbilicum, non solvi potuerunt medicamentis, multo minus tympanitis, qui proinde morbus erit incurabilis. Quod comprobatur exemplis, *ibid. in obseruat. medicin. c. 38.* Talis, maxime ob ascitem ei junctum, a ruptis vasis lymphaticis, esse creditur a *Williſſo*, *l. c.* qui alias & per se raro interficiat, & longo tempore protrahatur. Difficilis respiratio, pulsus citatior, tussis gravior, virium collapsus, corporis macies, urina pauca & intense colorata, vel quæ statim supprimitur, alvus pertinaciter clausa, sitis permagna, &c. si non lethalem, maxime tamen ancipitem faciunt. Pessimum est stranguria; vel si manus intumescant, periculosum.

§. XXXVI.

Ratione temporis eventus, *Baglivio*, *Oper. p. 82.* morbus est acutissimus & difficillimus, qui cito interimit: alvus & urina enim statim supprimitur. Intelligere forsan videtur confirmatum & ad *auxv* perductum, cujus facilis est cognitio, incipientis autem minime: vel qui causam habent affectionem spasmodicam & maxime calidam. Alias plerumque chronicus est, nisi in prima suffocetur herba, a causa subortus frigida, humore pituitoso, & qui insequitur cachexiam. Modus eventus: ad salutem fit discussione & eductione flatuum, viscerumque corroboracione; ad mortem tendit suffocatione, nimiaque spirituum vitalium dissipatione a doloribus, & vel ciborum fastidio, itemque febris acuta ab inflammatione alicujus visceris, vel gangræna, vel convulsionibus.

D

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Ad curationem hydropis flatulenti multam felicitatem requiri, præcipueque multos labores, sotum & temperantiam, *Cous de victus rat. in acut. oper. p. 405.* asserit. Cauto ergo opus est, & probe ad singula est circumspiciendum: in genere quidem ad spasnum & flatus, horumque causas, & producta. Intumescentiam ventris vaporariam & flatuosam proxime causari potest ventriculi & intestinorum, vel & omnium in abdomine partium spasmus, ab impetuoso spirituum animalium influxu in fibras nerveo-membranaceas, quem faciunt illi exstimulati (1. vitio proprio, maxime a prava crasi, qualitate acri, elastica, explosiva, aut ab animi affectibus, frequenti præsertim ira. (2. vel ab irritatione fibrarum rum externa, per materiam acrem, salinam, piperinam, aut vero flatus, impetu & acrimonia sua irritativos, ortos præsertim ab acrim humorum effervescentia; tum respective interna, per consensum in paroxysmis hysterics, hypochondriacis, colicis, aliisque convulsivis. (3. ab inanitione & siccitate, quam hectica, intestinorum intemperies, post morbos præsertim acutos, sistit, & productum habet glandulas præsertim aridas, tabefactas. Flatus autem excitantur a causa calida vel frigida, & talem corporis statum habent comitem, cum necessarij roboris defectu in primis viis & abdominis visceribus, qui facit ad morbum & invitandum & confirmandum, seu, ad copiosorem flatuum genesin, turbatis inde secretionibus & evacuationibus ordinariis.

§. XXXVIII.

His omnibus debitis succurrendum est remediis, quibus spiritus animales ducuntur in ordinem, & flatus sua cum materia exterminantur, corrigunturque. Prius expediunt præsidia cephalica, nervina, mitia, maxime fixa, quæ moderantur crasin ac motum eorum, simulac acre irritativum disjiciunt & invertunt. Sunt aqueo-diluentia, terrea, nitrosa, acidula, & anodyna blanda: porro præcipitantia & diuretica, potissi-

potissimum in calidum statum directa. Nominantur speciatim, *agu. cerasor. fl. til. sambuc. verben. beton. pæon. decoctum rad. chin. bardan. sassifr. junip. pulveres absorbentes, mater perlar. lap. 69, corall. terra sigillat. pulv. santal. rubr. analept. frig. epilept. spec. diamarg. frig. arcan. duplic. nitrum nitratum, antimoniatum, tartarus vitriolatus, tartarusisatus, sal balsamicum, Crystalli tartari, spiritus vitrioli, salis, nitri dulcis, vitrioli philosophicus, sulphuris multa aqua dilutus, tartari simplex & compositus, chysus antimonii sulphuratus, liquor Corn. c. succinatus. Tinct. pæon. aperitiva, elix. cephal. ess. castor. camphorat. Denique, aqua ari, junip. sambuc. limac. lumbric. magistralis, rob ebuli, junip. alkekengi. Inunctio spinæ dorsi videtur hic necessaria, ungt. albo camphorat. rosar. ol. scorpi. & camphora, pro spiritu commoderatione.*

§. XXXIX.

Horum quædam pariter sistunt, nomine præcipitantium, fermentationes humorum imi ventris in visceribus. Qui autem convulsivi affectus frequenter irruentes morbum nostrum insultibus suis gravissimis minantur, diligenter antispasmodicis sunt curandi: infecuta autem semel tympanitis, methodo curetur ista, quæ humori conveniens est morbifico. Prodesse autem poterunt tum memorata, tum porro resolventia & contemperantia, testacea, antimonialia, Iovialia, vitriolata, cinnabarina & mercurialia parce, & demum salia volatilia macra; ne tamen ægri actu sudent, cum plerumque siccitas in eorum corporibus prævaleat; quæ atque nervorum sensilitas nimia & afflictio detrectant pariter purgantia stricta, fortiora: admittunt tamen lenientia, maritata diuretica, alterna, vel quoque tertiis aut quartis diebus exhibenda, vel interpolanda alterantibus. Componuntur hæc ex *senna, rhubarb. agaric. mechoac. manna, rad. polypod. glycyrrb. malv. alth. petrosel. chin. lign. sassifr. fl. perscor. rosar. genist. sambuc. sem. cartham. ebul. 4. frig. & tartaro, potissimum decoquendis aqua simpl. aut vino albo & aqua saxifrag. infundendis.*

§. XL.

Fibrarum rigiditas membranarum, veteribus ab inani-
tione dicta, seu, siccitate, a calida corporis ejusque partium
intemperie proveniens, cujus meminit *Manget*, in *biblioth.*
medic. pract. tom. II. lib. IX. p. 1004. superari non nisi gene-
raliter humectantibus intro forisque, ex consilio *Baglivii*,
Oper. 82. possunt, & usu nitratorum. Saluberrima sunt, *se-*
rum lactis, lac asininum, ptisana, emuls. amygd. d. pini &
sem. 4. frig. decoctum bord. cum rad. chin. & passul. gelatina
C. C. & aven. excort. juscula a pullis gallinac. carne vitul.
agnin. cum vel sine herb. endiv. oxal. borrag. cichor. bugloss. fl.
rosar. papav. rb. cichor. borrag. sem. acetos. &c. nec non
decoct. *rad. brusq. asparag. fol. capill. vener. bacc. junip. cynos-*
bat. berber. cum passul. min. & tartaro. Tandem aquæ dulc.
potus & balnea, *decoct. thee. coffe, chcolada.*

§. XLI.

Corpore probe humectato, non erit de nihilo, corpus
& intestinorum canalem ab humoribus excrementitiis, ma-
tre flatuum, & his simul liberare, & viscera ab incrassatis hu-
moribus infarcta aperire. Notissimum est *decoctum pruno-*
rum laxativum cum senna, manna, tamarindis, rhabarbaro,
mechoac. polypod. passulis, sir. rosar. solutiv. de cichor. c. rha-
barb. infusum laxativ. Managetia. Quibus succenturiantur
clysteres, crebro injiciendi, humectantes & emollientes, non
sine carminativis. Proferuntur species pro decocto *emoll.*
lenitiv. carminat. aperitivo fl. & fruct. capillor. vener. aqua simpl.
coquendæ, superadditis elect. bacc. laur. ol. chamom. aneth. &
castor, coctis, nitro puro & camphora; vel ex avena excort.
flor. chamom. summit. aneth. cum lacte vaccino coctis, & ol.
amygdal. dulc. affuso. Laudatur a *Willisio Ph. rat. P. II. S. II.*
infusio stercor. equin. vel canini, fl. chamom. sem. carv. & cum
melle mercuriali. Item, *sal prunell. Drachm. III. cum urina sana*
& terebinth. in vitell. ovi solut. aut cum decocti emollient.
libr. I. Observato autem semper calido & sicco corporis sta-
tu;

tu; & clyster hic pro re nata, si non frigide, saltem tepide injici potest; neque topica potentia vel actu nimis calida, aut discutientia, quibus noxa induceretur, applicari debent.

§. XLII.

Excellunt inter externa, quæ particulis salinis, volatilibus & nitrosis sunt prædita, è salibus & mineralibus parata: fottus pro toto ventre, ex *sale, alumine & sulphure aqua simpl. coctis; vel ex urina pueri libr. IV in qua sal. prunell. unc. III. soluta* sint, cum Hartmanno, *offic. sanit. P. poster. c. 139. p. 592.* vel, ex *rad. cucum. asin. fol. malv. alth. mercur. nasturt. aquat. nicotian. verben. cicut. pro sacco, qui aqua s. & vino albo coquendus.* Idem ferè præstant cataplasmata, vel e *fimo vaccino recenti*, adhuc calido, solo aut cum *pulvere stercoris canini*: vel quæ parantur ex *emollientibus, cum lacte coquendis, immiscendis-que oleosis, carminativis.* Neque spernenda sunt unguenta, velut *de artanita, cum ol. lumbric. & philos. unguenta Agripp. popul. axung. human. ol. laurinum*, quibus distensiones ventris dolorificæ mitigantur, si hæc & antecedentia neque alvinas vel urinales vias aperirent, & materiam flatuosam educerent.

§. XLIII.

Quantum vero peccantes humores ab acri calida viscidine deflectunt, & ultra mediocritatem ad oppositum transcendere videntur, consimilem in medicamentis supra dictis, & infra dicendis selectum atque commoderationem institueredebemus. Expedita enim res est veritatis, quod si pituita sine vel cum acido fuerit in causa, & constitutio corporis existat frigida, qua cum noster consistat morbus, plane alias emergere indicationes, cum intentata quandoque viscerum vel perfecta obstructione, aut saltem atonia; quandoquidem raro tunc spasmodica adest ventris expansio, vel si foret, potissimum flatuum esset productum, raro acidæ acrimoniæ effectus. Flatus ergo oclusi sunt discutendi, materia eorum cum ipsis evacuanda & corrigenda, simul & calor debilis atque viscera, atonia laborantia, sunt roboranda, quo

fiet, ut necessariæ humorum secretiones & evacuationes restituantur. In qua methodo persistendum, nisi dum aliud quid urgeat sui remotionem, & aliam exposcat. Notamus tamen, indicationes has subsidiariam sibi mutuo præstare operam, & ita infervere, ut vix prorsus ab invicem secerni queant, quin potius remedia confundi oporteat.

§. XLIV.

In genere nihil perniciosius esse remediorum copia & farragine, inquit *Bagliv. l. c.* & cavendum ab omni violenta excretionem, a præmaturo usu carminativorum, salium volatilium, a largiori usu martialium, terreorum, adstringentium, narcoticorum, laxantium, turbantium primam regionem, & a negligentiori promotione evacuationum necessariarum. *Cl. Mich. Alberti. Prax. Univers. Sect. VIII. Cap. 4.* Carminativa primariam præstant operam, quæ sale pollent acri, volatili & oleoso, ut sunt: *rad. calam. arom. carlin. imperator. gentian. belen. levistic. angelic. anthor. galang. Zedoar. meu, cyperi; herb. menth. calaminth. meliss. majoran. organ. byssop. thym. serpill. rut. satirei. absinth. pol. mont. rorismarin. fl. chamom. matricar. summit. aneth. fol. & bacc. junip. laur. sem. anis. fenicul. carv. aneth. coriandr. dauci, ammeos, caryoph. cubeb. cardamom. cortic. citr. aurant. cost. ver. lign. aloës, & ex his producta ac composita, aquæ destillata, essent. spiritus, olea, conserv. extr. electuar. hinc & spec. diagalang. diacumin. dialacc. diarrhod. diaurcum &c. Cortices recentes pomor. aurant. citri, Sinenf. cum vino generoso destillati, aquam julepo rosar. edulcoratam constituunt gratissimam.*

§. XLV.

In incidenda crassitie, cujus beneficio flatus confurgunt, potenter juvant amara, gummata, salina, antimonialia & parce Mercurialia. Illa sunt, *rad. belen. trifol. fibr. pimpinell. tarax. eryng. curcum. herb. cent. min. fumar. scolopendr. absinth. scord. card. benedict. chelid. major. agrimon. cort. tamarisc. cappar.* Ista vero sunt *ess. g. ammoniac. aloës, elix. propr. salut.* Hæc autem,
anti-

antimon. diaph. sulphur aur. diaphor. bezoard. mineral. solare, lunare, specif. stomach. Poter. mercur. dulc. diaphor. cinnab. nat. & antimonii. In consortium, ad pastam & cruditates ventriculi acidas emendandas; necessario ducuntur anticachectica, quæ intentatam viscerum obstructionem & laxitatem abarcent, & consequenter hydropisim, quæ facile cachexiam protractam insequitur; testacea & terrea, *mat. perlar. conch. preparat. lap. crystall. lap. 69. corall. pulv. e chel. 69. terr. Lemn. & marge; alcalia & media salia, sal. absinth. onon. cichor. genist. ebulli, tart. vitriolat. arcan. duplicat. triplicat. tinctur. tartar. simpl. & compos. antimon. arcan. tartari, vel & acria antiscorbut. herb. cochlear. nasturt. aquat. trifol. fibr. beccabung. taraxac. fumar. scolopendr. scord. absinth. pimpin. cichor. rad. rhobar. curcum. chelid. major. martialia, croci, cachectica, bezoard. martial. cachect. pulv. tartareus & cinnabarinus, absorb. Wed. tinctur. martiales & amara.*

§. XLVI.

Aperiunt viscera efficacius, si dictis, ceu major eorum pars jamdum est, diuretica jungantur & simul purgantia: quæ bina evacuantia apprime flatulentam materiam evehunt, blande & per vices, aptissima tympanitidi medendæ. Nimirum, *herb. absinth. card. b. veron. cerefol. fl. cent. min. genist. calendul. chamom. Rom. anibos; rad. onon. polypod. helleb. nigr. mechoac. rhobarb. agar. gramin. brusc. eryng. sem. anis. fenicul. petrosel. bardan. cortic. aurant. limat. mart. & tartar. &c. F. nodulus cum vino.* Ad eundem scopum talis adhibetur ex *baccis virid. junip. sambuc. conul. abiet. cort. Winter. aurant. limon. sem. ammeos, eruc. nasturt. aneth. facta aqua destillata cum sero lactis, parato vino albo.* Cum hoc *fol. plantagi. aparin. cherefol.* infundi, & fieri expressio fortis potest, cujus unc. III. mane sumantur. Celebratur haud minus vinum hydragogum, ex *rad. cucum. agrest. sambuc. ireos, soldanell. concis. cum vino albo, bulliant ad tertias.* Sub finem adde, *sem. anis. cumin. foenic. ammeos, dauci, fesel. rut. aneth. cum cort. citr. & cinnam. in dosi unc. V. Hoc educere dicitur flatus per os & alium.* *Epiphani. Ferdinandus, hist. 47.*

§. XLVII.

Quidam magni æstimant lixivium pro diuresi, *benedictum Myns.* aut cinerum vitium & frondium juniperi, vel genista vino albo factum: aliave salia, *junip. ononid. genista; urina, succin. volat. liquor lumbric. terr.* Item, *sal. digestiv. arcan. duplic. tartari terra sol. & spiritus volatiles, liquor diureticus ex nitro & calce viva, aqua calcis viva, tinctur. tart. & antimonii.* Vidua pene septuagenaria ascite & tympanide laborans, potu muriæ, seu brodii brassicæ condit. calidi in lecto incalescens, per copiosum mictum sanabatur. Brassica nitrosam vim habet diureticam. *Helwig Observ. 88. & in schol.* Grube hydropticum restituit usu brassicæ vino infusæ. Neque reticendum decoctum *matricar. veron. absinth. artemis. rubr.* item, decoctum *rad. & fol. ebul. atque sambuci,* vel ex iis confecta rob. vel quovis mane succi iridis & vini ana, cochlearia duo sumenda. In mensa poterit serum lactis & absinthites; aut vinum sem. *cumin. & anisi* imbutum. Magni fit liquor ex floribus *tapsi barbati expressus in decocto sem. & rad. foeniculi.* Pro varia corporis dispositione juvare possunt subacida, vel acido-sulphurea, *spir. salis & nitri dulcific. vel sal. simpl. & compos. carminat. de trib. tinctur. aperitiv. Mæb. elix. vitrioli Myns. Rulando, in thesaur. med. laudatur oleum coryli, gutt. iij. - viii. Spiritus guajaci cum rob. ebuli.* Lentilio, in *Eteodromo, anni. 1709. p. m. 486.* fuligo splendens, quæ ad tres cultelli cuspides aliquoties hausta in jure calido desperata quædam tympanitica evaluit sana: & in *decur. ann. 2. Obs. 113. A. N. C. lapis saxifragus Volckamerianus* laudatur.

§. XLIX.

Illustre latet in purgantibus præsidium ad multos morbos, valdeque rebelles averruncandos, quæ quidem valida si fuerint, prout supra in morbo nostro a causa calida merito suspecta fuere reddita; ita m. in tympanite pituitosa, & quidem simplici erunt talia, quippe quæ magis per coctionem ubigitur: ista vero corpus ita debilitant, ut major postea aqua-

aquarum proventus fiat, & tormina ventris magis exacerbentur. Testimonium nobis præbet *Paulus*, qui a purgantibus, tanquam corpus colliquantibus, & urinas fortiter moventibus, abstinendum suadet, & solis carminativis utendum: in composita autem cum ascite utilia, & maxime cum aliis antiafciticis necessaria sunt. Mercurialia hinc præscribit *Hartmannus l. c. esula* & *colocynthis* extractum, *Rulandus l. c. p. 125. pilulas ex duobus cum elaterio aut g. gutta, Sydenham, de hydrope.* Media sunt, *pilul. aggregativ. de hiera simpl. & cum agar. tartar. Becher.* Blandiorum supra mentio facta; vel usurpari commode potest *potio communis purgativa Sydenhamii, aut sir. de spina cervina, aurum fulminans & magnesia alba.* Atque his mitioribus inprimis corpora, quæ facillime purgativis cedunt, sunt tractanda, alii e contra fortioribus.

§. XLIX.

In ægris constitutione infirmiori evacuantia per os plane sunt omittenda, & supponenda iis enemata *ex emoll. & carminativis*, pro re nata extimulandis *purgantibus vel laxantibus*, repetenda, dum scopum attigerimus. Iis sane solis sunt, qui alias curationem totam vel maximam ejus partem committunt, & in tympanitide ab iis incipiunt lubricantibus; lenientibus enim commodissime educuntur flatus & eorum materia, alterantibus vero corroborari viscera & partes infimi ventris, atque restaurari coctiones possunt. Tempore igitur, & re nondum prorsus desperata adhibeantur. Insignis clysterum ambitus monstratus fuit in dissert. *de clyster. nutritiis atque frigidis*, sub umbone *Dn. Doct. Præsidis* habita. Faciat, qui volet, periculum suppositoriis, ano immisissis, ad flatus expellendos, quæ componuntur *ex sem. cumin. fol. rut. & sale gemma pulverisatis, & melle cocto in glandem formatis*, quæ teneantur per noctem in ano. *Rulandus l. c.* Vel, globuli pro ano adhibeantur contra flatus, *ex farina, sale, sercore murino, cum felle bovino formati. Spindler, Observ. medic. 53.*

§. L.

Nunc adhuc quædam de debili ventriculi calore, ac tono

E

sanguis

sanguinis atque viscerum vigorandis monenda essent, nisi huic jamdum fuisset prospectum anticachecticis & aperitivis, in §o 44. illi autem carminativis atque stomachicis, in §. 44. 46. calidis, aromaticis, spirituosis, balsamicis, qua quoque tonica sunt, ut ess. *aromat. theriac. menth. cinnamom. Zedoar. pimpin. alb. cort. aurant. tinctur. balsamic. bezoard. balsami Indic. ficci, regia, balsamo vitæ, martis balsam. spec. aromat. rosat. diagalang. pulver. peptic. infusus cum vino, maxime e rad. gentian. summit. genist. cent. min. absinth. salu. cochlear. sem. petrosel. fœnicul. cort. aurant. & passulis, aut vinis Hippocrat. item, cerevisis medicatis consimilibus & raphano rustic. isti recenti confermentandis; vel elect. ex conserv. menth. cochlear. absinth. condit. cort. aurant. nuc. indic. jugland. zingib. enul. extract. gentian. absinth. cent. min. scacarrill. chin. chin. pulverisat. speciebus & syrupo cort. citri. Quæ vel interpolanda, vel aquis & flatibus penitus evacuatis sunt usurpanda. Notandum vero, cum ad corroborantium usum perventum fuerit, ægrum nullo modo esse purgandum, corroborandum autem sub usum salium lixivialium, juxta *Sydenhamium*. Altera cautela est, ne abutamur calidis, præsertim spirituosis, ne quando halitus flatuosi, alvo obstructa, resoluti valde agitentur, spasmi & dolores augeantur. Constant tamen alvina apertio promoveatur abstergentibus.*

§. LI.

Quoad topica attinet, tam supra dicta tuto, educendis per alvum & urinas congrua, quam nunc carminativa, flatibus discutiendis & materiæ exsiccandæ utilia, atque roborantia, nervina, in statu hoc pituitoso calidiora, audacter usurpari possunt. In genere, carminativis emollientia addantur, ne suspecta ventris adstrictio insequatur. Sacculi se commendant ex milio, sale, fursure, fol. rut. aneth. puleg. fl. chamom. melilot. rad. zedoar. calam. aromat. sem. 4. calid. bacc. laur. qui spirituosos conspergi possunt, illito antea ventre oleis paregoricis, balsamis carminativis, aut unguentis nervinis, oleo carminativo *Myns. paregor. Wed. laur. rut. aneth. chamom. lumbric. terr. phibos. nardin. ungt.*

ungt. carminat. nervin. dialth. Imponuntur etiam *emplast. de crusta pan. carminativ. Sylv. diaphoret. anhydrot. diasaponis.* Juvit quendam inunctio *olei Philosophorum* totius ventris bis de die facta, & per aliquot septimanas continuata, cum supposito-
torio status educente, ut supra. *Spindlerus, Observ. med. 53.* Sine dubio externus thermarum usus, moderate susceptus, erit proficiuus, & circa morbi principium, visceribus salvis, internus.

§. LII.

Utplurimum symptomata adesse urgentia & comitari morbum nostrum, norunt Practici, quibus seorsim remediis est succurrendum; doloribus *cinnabarinis, opiata* enim minus sunt tuta, & preparatis nonnullis *theriacalibus*: sicut, *sale prunelle, tamarindis* sensim masticatis, *sirupo e succo lujule & malis citriis*: vigiliis, *sirupo meconii & emulsionibus ordinariis papaverinis, aqua pæon. compos. & crocatis*: virium debilitati, cardiacis, *tinctur. croci, corallor. aromat. balsam. indic. sicci, de Mecha, confect. alkerm. de hyacinth. conserv. ex toto citri & fl. calendule, aqua cinnam. sine vino, naphæ, margarit. spec. de gemmis, pulv. analeptico*: feбри acutæ, ob alicujus visceris inflammationem, V. S ne, cordialibus *acidulis* & refrigerantibus, *emuls. sem. 4. frig. nitrosi*, diaphoreticis.

§. LIII.


Non abs re erit, neglectum a plerisque fontem chirurgicum pandere, visuri, an quædam inde scaturire velint utilitates. Sanguinem e brachio detrahere convenit, secundum *Coum l. c.* quod si æger difficultate spirandi teneatur, anni tempus fuerit æstivum, ætas vigeat, & virum robur ad sit: eo magis, si morbus a causa provenerit calida, vel spafino, aut præcurrent molimina hæmorrhoidalia, vel mensium aut lochiorum anomalia. Paulus & Aëtius cucurbitulas absque scarificatione toti ventri admovendas esse suadent. Cum ventre prætumido & clauso vir quidam doloribus cruciabatur, haud cedente medicamentis. Tandem cucurbitula umbilico affixa, (solet enim hujusmodi malum tali præsidio


dio nonnunquam minui,) soluta est umbilici ipsius unio, indeque spiritus crassior erumpens & cucurbitulam ipsam disjecit, & hominem, omni amoto dolore, pristinae sanitati restituit. *Benivenius Observ. med. c. 39.* Docet *Galenus*, cucurbitulas magnas cum multa flamma applicare umbilico, & flatus incantamenti instar discussum iri: aut cucurbitulas leves, absque scarificatione, toti ventri adhibendas consulit *Remb. Dodonaus, prax. c. 67.* Umbilici sponte disrupti in salutem aegri, & evacuati feri cum flatibus exempla notarunt *Donatus, Fabricius Hildanus, Amatus.* Hoc natura beneficium ars imitari potest, & sanare inciso umbilico, quando ille in amplam molem prominet, aegrum, salvis visceribus. Quae si minus salva praesumuntur, umbilicum nimis extensum fascia ligare convenit. Quodsi certi fuerimus, flatus in abdominis cavo contineri solo, paracentesin, nisi quid gravius obstat, instituere licitum erit alio in ventris infimi tuto satis loco, ne tamen intestina flatibus plena sint & expansa, laedanturque in perforatione.


§. LIV.

Diatetico sermonem nostrum suo merito claudimus, & conveniente sex rerum non naturalium usu siccum hydropem emendare annitimur, quem inconueniens atque pravus persaepe gignit. Legitimus contrarius esto causis morbificis, & hic loci potissimum pituitae. Evitet igitur tympaniticus aërem frigidum & humidum, ejusque incongruam admissionem: fugiat addephagiam, alimenta cruda, austera, fermentabilia, nimis viscida: caveat sibi a lacticiniis, fumo induratis, saccharatis, cerevisia non rite fermentata aut defaecata, a potu largo & nimis frigido, inprimis a corporis aestu, sed eligat temperata, euchyma & eupepta, humectantia, lubricantia. Quantitatem alimentorum non quidem ad pondus mensuret, magis tamen temperiem observet. Motum blandum & repetitum exerceat; moderamen in animi affectibus teneat, excretiones probe curet, inprimis per alvum, ut sit aperta, quo resolutae viscedines promptum inveniant exitum.

S. D. G.







90 A 6421

f

ULB Halle 3
 002 927 306




Nr. 39 nur
 Verknüpft


TA → OL

R

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

36 36

2. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS

DE
HYDROPE SICCO

SEV
TYMPANIA

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

WILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQA

EX GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE DECRETO

PRAESIDE

IOANNE IACOBO FICKIO

PHILOS. ET MED. D. ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN.
PROF. P. ARCHIATRO DV. SAX. VINAR.

PRO LICENTIA

SVMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI

IN AVDITORIO MEDICO

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
PVBLICAE PHILIATORVM DISQVISIONI

SVMITTIT

IO. CHRISTOPHORVS SCHILLING

PRACTICVS SCHLAIZENSIS.

A. O. R. MDCCXXII. XII. DECEMBER.

IN AEA LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

